DE

BERNARDO DEL CARPIO HISPANORUM HEROE.

DISSERTATIO

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITERARUM VIADRINA

AD

DOCENDI VENIAM RITE IMPETRANDAM

XVI. CAL. JAN. ANNI MDCCCLVI

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS THEODORUS KAROW,

PHIL. DR. AA. LL. M.

CONTRA ADVERSARIOS

O. FRANKLIN, JUR. UTR. DR.
P. SCHAEFER, PHIL. DR.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOC. (W. FRIEDRICH.)

EDUARDO BONNELL

DIRECTORI GYMNASII FRIDERICO-WERDERIANI BEROLINENSIS

EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE

SAGACI ANTIQUITATIS INVESTIGATORI

HISTORIAE PERITISSIMO

DOCTO ET INTELLIGENTI CARMINUM EXISTIMATORI

HUNC LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Perlegenti mihi iterum Cervantis celebrem fabulam Romanensem locus quidam, qui antea me legentem fugerat, cogitationem occupavit meam. Loquitur enim poeta de majore aut minore oblectatione, qua prima fabulae persona, Don Quijote nominatus, viris, qui poematis celebrati sint, afficiatur; et postquam ab eo celeberrimum illum Hispanorum heroa, Cid, non satis comprobatum esse, narratum est, Cervantes ita pergit:[1]) *Mejor estaba con Bernardo del Carpio, porque en Roncesvalles habia muerto á Roldan el encantado, valiéndose de la industria de Hércules, cuando ahogó á Anteon el hijo de la Tierra entre los brazos.* Hac ab aliorum populorum aliena relatione adductus sum, ut, quid de vita illius Bernardi a scriptoribus Hispanorum illustrissimis descriptum exstaret, quantopere possem, legerem et exacto judicio examinarem. Exstant autem de viro illo magna ex parte non litterae historicae, sed diversa diversorum poetarum carmina, quum omnes historiarum scriptores, qui Bernardi mentionem faciant, nonnisi capita quaedam chronicorum generalium *(Crónica general de España)* exscribere videantur.

Haec igitur chronica generalia, quae prima omnium monumentorum litterarum Hispaniensium nobis cognitorum Bernardi mentionem faciunt, initium faciant quaestionis nostrae necesse est.

I.

In illa historia Alphonsi decimi, quae inscripta est „*Crónica general*“, haec leguntur (p. III. cap. 10. fol. 225. ed. Zamor. 1541): Alphonsus rex sororem, Doña Jimena nominatam habuisse dicitur, quae secreto comiti Sandias de Saldaña nupsit et filium peperit, cui nomen Bernardus datum est. Alphonsus rex quum haec audivisset, magna aegritudine affectus est, et quum civitatis primores *(sus cortes)* in urbem Legionem Septimam Geminam convocasset, comitem Sandias de Saldaña arcessi eumque sine multo comitatu advenire jussit. Quo facto statim quum comes in urbem intrasset in custodiam datus et in castellum Lunia nominatum transportatus est, regis autem sororem Jimena ille in coenobium quoddam misit. Bernardus a rege educatus, ingenio et artibus ingenuo viro dignis omnibus fere aequalibus mox antecellebat. Fuerunt autem in regia consanguinei quidam Bernardi, qui regis rigore exasperati duas feminas nobiles, quae cum regina vivebant, adduxerunt, ut Bernardo, qui adhuc nesciebat, quales haberet parentes, nomina eorum exponerent. Quae quum ille audivisset, magnopere lugebat seque ad regem contulit, ab eoque, ut pater suus e custodia liberaretur, petivit. Quod quum sibi non concederetur, dolorem ut leniret et fortitudine regis animum sibi reconciliaret, in pugnam ire instituit. Narrantur deinde in chronicis illis Alphonsi decimi res ab eo praeclare gestae

contra Arabes, praecipue contra reges Ores et Alçaman. Simulatque Bernardus victor in ulla pugna exstitit, a rege semper ut pater e custodia liberaretur petivit, quod quidem semper rex pollicitus, tamen nunquam perfecit. Anno octingentesimo decimo quinto p. Chr. n. rex Alphonsus Castus rursus primores civitatis in Legionem urbem convocavit, et ludos atque certamina instituit.[2]) Voluptas equitum quum absentia Bernardi, qui perfidia regis squalore affectus ludis interesse noluit, minueretur, duo comites, Don Arias Godos et Don Tibalte, ad reginam ire, ab eaque ut esset conciliatrix petere instituerunt. Regina, Bernardo pollicita, se effecturam esse, ut pater ejus liberaretur, illum commovit, ut ludis interesset. Sed neque uxoris precibus, nec memoria factorum Bernardi rex victus est, qua de caussa Bernardus regi obedientiam renunciavit, et cum aliis conjunctus equitibus Legionense regnum vastavit. Quum qui Alphonso succederet Alphonsus Magnus eandem inimicitiam contra Bernardum servaret, qualem antecessor habuerat, ille tandem potestatem regiam tantopere debilitavit, ut rex iterum et sanctis quidem verbis polliceretur, se captivum liberaturum, si Bernardus castellum Carpio, quod maxime formidabilem eum fecerat, regi redderet. Bernardus sine dubitatione promisit, quod rex postulaverat, et rex comitem arcessivit, sed ille, regis, ut videtur, jussu interfectus,[3]) mortuus jam fuit. Cadaver, quasi comes vivus adhuc esset, equo imponitur, et Bernardo, qui tam crudelem ludum non exspectavit, obviam ducitur. *E despues* — sic in chronicis nostris legitur — *que se llegaron todos in uno, comengó Bernaldo á dar bozes con gran alegría é dezir: „¡Ay Dios! ¿do viene aquel conde Don Sandias de Saldaña?“ E el rey Don Alfonso le dixo: „Védeslo do está, ydlo á saludar, puesque tanto lo cobdiciastes ver.“ E Bernaldo fué*

estónces para él é besol la mano; mas quando gela falló fria é le vido toda la color denegrida, entendió que era muerto, é con el pesar que ende ovo, començó de dar grandes bozes é fazer gran duelo diziendo: „¡Ay! conde Don Sandias, que en mal hora me engendrastes, ca nunca fué ome perdido assí, como yo soy agora por vos, ca pues vos sodes muerto é el castiello yo he perdido, non sé consejo en el mundo que faga.“ Le dixo estónces el rey: „Don Bernaldo, oy mas no es tiempo de mucho fablar, é digo vos que me salgades luego de la tierra é non me estedes y mas, é ydvos á Francia al rey Carlos, cuyo pariente sodes, ca allá fallaredes quanto ovierdes menester é aun quien vos faga honrra. Quae Bernardus sequentibus temporibus fecerit, paucis et confusis verbis in chronicis Alphonsi decimi enumerantur, et in fine ejus libri auctor haec dicit: *Mas porque nos non fallamos nada de todo esto que avemos dicho de Bernaldo desde la muerte del conde Don Sandias en las estorias verdaderas, las que fizieron é compusieron los omes savios, porende non afirmamos nos nin dezimos, que assí fuesse, ca non lo sabemos por cierto, sino quanto oimos dezir á los juglares en sus cantares.* Haec breviter a me exposita de Bernardi vita facile pulcherrima pars chronicorum est generalium, genus autem dicendi illa caret diligentia, quam aliis in partibus horum chronicorum aliisque in scriptis Alphonsi adhibitam invenimus. Lingua enim a Latina nondum omnino expedita nonnullis in locis non satis expressa atque distincta est. Ut enim exemplo utar, plane cognosci nequit, utrum vocula *„le“*, quae *„besaron“* sequitur, ad Alphonsum sit revocanda, an ad Bernardum: *E quando vieron que assí se partia Bernaldo del rey, despediéronse del rey é besáronle la mano é fuéronse para tierra de Saldaña.* Ego quidem ad Bernardum revocandam eam esse malim, quem nobiles, qui secum

regiam relinquunt, manum suum ad os referentes, quasi venerantes consalutant. Quibusdam in locis narrationis nostrae auctor regius, cui sagacissimus Dozy[4]) nuperrime jus suum ad illum librum pertinens rursus vindicavit, ad *„cantares de gesta"* et *„los juglares en sus cantares"* provocat. Cognovit igitur Alphonsus decimus, qui historiam suam circa annum millesimum ducentesimum sexagesimum scripsisse putatur, jam romanzas et historias rerum a viris fortibus gestarum, quarum nonnullae certo nobis adhuc exstant, quamvis lingua in illis adhibita passim posterioris temporis signa ferens, a viris sequentium aetatum aliquantulum mutata et in novam formam redacta esse videatur.

II.

Nunc demum, a viro doctissimo Duran secunda facta editione libri *„Romancero general"*[5]) inscripti, de illis romanzis, quae Bernardi vitam attingunt, certo judicari potest. Numerus romanzarum de Bernardo, quas nos cognitas habemus, XLVIII est, quarum Duran tom. I. pag. 417—439. (nr. 619—664.) XLVI nobis perscripsit, duae autem in collectione quadam ephemeridum *(fliegende blätter, pliegos sueltos impresos al vuelo)* bibliothecae Pragensis inveniuntur. Una adhuc romanza nondum typis expressa, quae retractatio modo sexcentesimae vicesimae primae in Durani libro esse videtur, in editione secunda libri: *„Silva de varios romances* (Barcelona 1557)" in bibliotheca Guelpherbytana asservati continetur; F. Wolfius quidem, in cognitione litterarum Romanensium facile princeps, in commentatione: *„Zur bibliographie der romanceros"* p. 14. initium illius romanzae ita affert:

Reinando el rey don alonso
el que casto era nombrado.

Quum in romanza 621. *„se decia“* pro *„nombrado“* legatur, sequitur, ut alio in alias vocales exeunte simili extremarum syllabarum sono *(assonanz)* adhibito, in compositione verborum multa mutata sint, quamvis sententias in utraque romanza easdem fere esse causis nonnullis adductus putem. Breviter igitur sententias singularum romanzarum, adhibita passim translatione quorundam locorum in sermonem patrium, enarrabo.

n. 1. Breviter enarratur post Bernardum natum comitem de Saldaña in custodiam inclusum esse.

n. 2. De eadem re accuratius dicitur.

Hanc romanzam aetatis posterioris et a Lorenzo de Sepúlveda cantam esse constat. Finis nitidissimus ita fere in linguam patriam verti potest:

Wohl! ihr seid mein herr und könig,
spricht der graf in lauten klagen;
führet aus nun euern willen
gegen mich, der nur vasalle.
doch bei'm himmel seid gebeten,
dafür sorge treu zu tragen,
dass als sohn der königsschwester
der Bernardo auferwachse:
nicht hat theil an meiner schuld sie,
die allein ich hab' zu tragen.

n. 3. Eadem res iterum usque ad adventum comitis de Saldana Legionem enarratur.

n. 4. Comitem comprehensum atque in castellum Luna, in chronicis generalibus Alphonsi decimi „Lunia“ nominatum, nec non Jimenam in coenobium missos esse memoratur.

n. 5. Adolescentis describitur fortissimi Bernardi natura, qui eques summi ingenii naturaeque elegantis, prudens et facetus consultor omninoque omnium artium ludorum equestrium valde peritus fuisse dicitur:

Alles ging ihm gut von statten;
dies nur hatt' er zu beklagen,
nicht zu wissen, dass sein vater
sitzt in langer haft gefangen.

Duranum fugit, has tres ultimas romanzas olim sine dubio separatas non esse, quod quidem certum videtur, quia in quaque similis ultimarum syllabarum sonus in „*ia*“ servatur, auctorque cujusque bibliopola Valentianus Juan de Timoneda, qui etiam comoedias composuit, videtur fuisse. Accedit, quod hae tres romanzae plane et necessario junguntur. Novum illud est documentum sententiae, quam Ferd. Wolfius (Wiener jahrbücher der litteratur. band CXVII. p. 113.) posuit, cantilenas praecipue per eos poetas, qui vocantur „*juglares*“, persaepe ad majora poemata cyclica conjuncta, posterioribus autem temporibus ab editoribus temere rursus divisas esse, fortasse ea de caussa, ut facilius memoria tenerentur. Romanza tertia eadem est, quam supra in sententiis congruere, in simili sonu extremarum syllabarum diversam esse ab illa, quae in editione secunda libri: „*Silva de varios romances*“ continetur, opinatus sum.

n. 6. Haec romanza Elviram Sanchez, Bernardi avam, ei secretum ortus sui exposuisse, et captivitatem patris in castello Lunensi describit.

Alle welt empfindet's übel,
dass dein arm sich nicht erhebt,
wo den grafen, den ergrauten,
harte fessellast beschwert.

Bernardus tremore affectus, jusjurando patrem se liberaturum esse promittit.

n. 7. Haec omnium harum cantilenarum paene praestantissima in custodiam comitis de Saldaña nos deducit, qui fortunae suae crudelitatem commiseratur, praecipueque queritur, Bernardum filium, quem fortissimum esse adolescentem vel in solitudine sua audivit, captivitatem et adversam suam fortunam negligenter atque lente pati neque quidquam, ut liberetur, facere.

Ach, die jahre meines schmachtens,
gar so ausgedehnt und hart,
ruft nun stets mir in's gedächtniss
dies mein ganz gebleichtes haar.
als ich eintrat in's gefängniss,
trat ich ein noch ohne bart,
den ich jetzt durch meine sünden
sehe schon ergraut und lang.

n. 8. Vascum Melendez et Suerum Velazquez, Bernardi consanguineos commovisse enarratur duas nobiles feminas, ut Bernardum ortus sui et captivitatis patris certiorem facerent, illum autem ad regem festinasse petiturum, ut patri libertas concederetur, quod quidem sibi concessum non esset.

Herr und könig, ihr könnt thun,
wie es euerm sinn beliebt:
ich will auf zum herren flehen
und zur heiligen Marie,
dass er, schnell ihn freizulassen,
gnädig in das herz euch giebt.
komm' es, wie es komm' — ich werde
doch euch stehen stets zu dienst.

n. 9. Poema hoc arte perfectum sumptum est e collectione Sepúlvedae (1550), quae nihil fere nisi hujus

poetae carmina continet. Eandem canit rem, quam prior romanza atque, quum similis sonus extremarum syllabarum idem sit, atque in illa veteriore, eaque illam ita sequatur, ut vel verba congruant, haec romanza nihil aliud esse videtur, nisi posterior retractatio omni valore carens.

n. 10. Arabum rex Ores de Mérida Alphonsi Casti regno bellum infert, pugnamque cum eo committit apud urbem Benavente, e qua tamen christiani fortitudine Bernardi victores evadunt. Rex, qui paene ab hostibus captus erat, a Bernardo liberatur eique promittit se grato animo patri ejus libertatem concessurum esse, quam fidem deinde rumpit. Haec romanza non minus quam tertia usque ad quintam Timonedae libro „*Rosa española*" continetur verbaque ad opinionem adducunt, eam compositam esse a Timoneda ipso, qui magna ex parte auctor eorum poematum est, quae illi libro insunt.

n. 11. Haec romanza easdem refert res, quas prior, eundem praebet similem sonum in „a—o", eundemque numerum versuum. Sed nomina sunt alia, quod pro „Ores de Mérida" dicitur „Almaza de Badajoz", qui in chronicis illis generalibus „Alçaman" nominatur. Locus autem pugnae hic „Zamora" affertur.

n. 12. Quod de pugna quadam in his duabus prioribus dicitur romanzis, fortasse ex parte re vera factum esse credi potest, in hac autem quod narratur certe nihil nisi fabula plane ficta est. Dicit enim poeta, nobilem quendam Franco-Gallum, Don Bueso, cum exercitu in Hispaniam venisse, cum Asturiensibus proelium apud urbem „Osejo" commisisse, in quo a Bernardo interfectus esset, qua de caussa exercitus ejus terrore affectus in fugam se conjecisset. Etiam post hanc rem praeclare gestam Bernardum, ut patri libertas concederetur, a rege petiisse, quae res sibi rursus denegata esset.

n. 13. Rursus exercitus Maurici bellum regno minitantur. Christiani exercitum suum in duas dividunt partes, quarum altera duce Bernardo apud Polvoredam, altera duce ipso rege ad Durii ripas hostes devincunt.

n. 14. Haec cantilena ita ut vicesima sexta e libro Lucae Rodriguez inscripto „*Romancero historiado (Alcalá de Hendres* 1579)“ sumptae ab hoc poeta compositae esse videntur, quum partim nulli alii collectioni romanzarum insint, partim Bernardum rebus amatoriis operam dedisse narrent, quod nullo alio loco refertur neque omnino ad simplices et paene asperos Bernardi mores quadrat. In decima quarta enarratur, Bernardum dilectam suam Estelam ex Arabum manibus liberasse et obsidione solvisse castellum suum Carpio; in vicesima sexta, amore trium puellarum adductum eum in certamine equitem Lepolemo, qui eas, fratre interfecto, e castello earum expulisset, occidisse. Tales narratiunculas Lúcas Rodriguez, quia aliorum populorum, praecipue Italorum, poemata epica fortasse legerat, finxisse atque composuisse videtur. Utraque romanza male est mollis et inepte personas mythologicas inducit, ut Phaëtontem, Titonem, Plutonem, Cupidinem, alias. Amicus quidam Bernardi vel Ascanius nominatur, quod nomen Rodriguez, cujus cantilenarum collectio ipso Ticknori non cognita est, sine dubio apud veteres scriptores invenerat. Addendum adhuc est, Bernardum Rolandum, comitem et dominum de Brava, persequi.

n. 15. Bernardus rursus ut patri libertas concedatur a rege petit, ejusque perfidiam valde vituperat, ostendens, quantopere de patria meritus sit atque idcirco id quod petat paene quasi jus suum postulare possit. Finis romanzae ita a me vertitur:

Nicht will ich dich, herr, erzürnen,
nur an eines dich erinnern,
dass mein vater liegt im kerker,
und ich dir im kriege diente.

n. 16. Quae in chronicis generalibus Hispaniae ab Alphonso decimo compositis leguntur, quum Legione certamina et ludi instituti essent, quibus interesse Bernardus noluisset, duos equites a regina petiisse, ut foret conciliatrix, hac in romanza rursus narrantur. Sed preces ne reginae quidem regis animum commovere possunt, „*pues*", ut Duran dicit, „*se preciaba mucho de casto, y era demasiado agreste para ceder á ruegos de mujeres.*"

n. 17. Eadem res in hac romanza, quam Sepúlveda, veteriorem cantilenam sequens et retractans, composuit, narratur. Quum Alphonsus quod regina petivisset denegasset, Bernardum rursus precari ausum esse, enumerantem quae praeclara facta apud Benavente, Zamora, Oruega urbes perfecisset. Quum rex etiam his verbis nullo modo commoveretur, Bernardum obedientia renuntiata regnum reliquisse.

Und mit arg erzürntem sinne
nach Saldaña er sich wendet,
wo er kämpfte manche schlachten
gegen königliche heere.

n. 18. Eaedem fere res perpaucis adhibitis mutationibus narrantur.

n. 19. Sententiae hujus cantilenae omnino eaedem sunt atque decimae septimae, sed in hac quidam viri enumerantur nobiles, qui cum Bernardo Saldañam migrant et hac ex urbe regnum Legionense expeditionibus institutis vastant.

Jene kriege des Bernardo
mit dem kön'ge währten lange,
bis Alfonso, jener keusche,
mit dem Tode abgegangen.

n. 20. Alphonsus Castus Carolo Magno regnum suum anno trigesimo ex quo rex factus est, anno autem p. Chr. n. octingentesimo quadragesimo primo offert, ea facta conditione, ut ille se contra Mauros adjuvet.

Nicht so heimlich ist's geschehen,
dass es sich nicht hätt' verbreitet;
schwer empfanden es die grossen,
doch Bernardo zürnt am meisten.

Timoneda etiam hujus poematis auctor esse videtur.

n. 21. Bernardus arma sibi induit ad ripas Arlanzae, contra Burgos equo vehitur, coram populo regem de saevitia sua contra parentes atque de perfidia, si regnum Carolo Magno traditurus sit, objurgat vehementer.

Sterben werden Castillaner,
eh' sie sehen solche schande:
bergbewohner, Leonesen,
und viel edle Asturianer,
selbst der könig Zaragoza's
werden beistehn mir im kampfe,
mit mir gegen Frankreich ziehen,
tummeln sich in grausen schlachten.

Hanc cantilenam, quae Timonedae collectioni inest, valde popularem esse Duran est testis, quod eo credibilius est, quum summi fere Hispanorum poetae Lope de la Vega fabula „*Mocedades de Bernardo del Carpio*“ fere omnino ea nitatur.

n. 22. Eadem paene res describitur. Bernardi asperitate atque severitate rex commovetur, ut consilium

regni Carolo Magno tradendi commutet et irritum faciat. Qua de re Carolus ira incensus ut vi Hispaniam expugnet exercitum colligit. Etiam hujus cantilenae auctor nobis cognitus Lobo Laso de la Vega est.

n. 23. Praestantissima haec est Sepúlvedae romanza, quae primo prioris sententias amplectitur et deinde ita pergit:

Beide kön'ge nun sich rüsten
mit den völkern ihrer staaten,
finden sich bei Roncesvalles,
wo man arge schlacht geschlagen.
viele sind allda gestorben,
Franken viel und Castillaner;
und den sieg hat Don Alfonso
glorreich hier davongetragen
durch Bernardo's grosse kräfte,
seines tapfern anverwandten,
der den unverzagten Roland
auch an diesem Ort erschlagen
und noch manchen andern kämpen,
der in Frankreich hoch gehalten.

n. 24. Haec cantilena easdem res usque ad mutatum regis consilium regni Carolo Magno tradendi explicat. Duran recte ad hoc carmen adnotat: „*Anacronismo es proclamar las libertades de Castilla cuando solo existian los fueros de Astúrias y Leon.*“ Populus collectus Bernardo ita acclamat:

Lebe hoch der held Bernardo,
der befreier dieser länder,
der zerbricht das schnöde joch
und vertreiben wird die fremden.

n. 25. Ut Bernardus impediret, quominus regnum, quod quum liberi regi non essent ipse summo jure sibi

vindicare potuit, traderetur Carolo Magno, Granatam migrasse et cum Muza, illius terrae principe, foedus junxisse fertur. In praecedentibus quidem cantilenis enarratur, Alphonsum Bernardo urgente consilium mutasse, in hac autem, regem, ut, quod Carolo Magno promisisset, id tenere posset, Bernardum e regno ejecisse refertur. E castello suo Carpio Bernardus regi epistolam mittit, se rediturum esse, simulatque vires suas sit mensus

mit dem unverzagten Franken,
welchen man Orlando nannte,
dem es nicht viel sollte nützen,
jenen zauberhelm zu tragen,
den er raubte dem Cervino,
als er einst ihn fand entwaffnet,
und ihn tödtete, dann lügend,
dass er ihn im feld erschlagen.

Hac epistola ad regem missa Bernardus castellum Carpio relinquit, Granatam se contulit et a Muza comiter excipitur.

n. 26. De hac cantilena quid sit memorandum jam ad quartam decimam diximus.

n. 27. In hoc carmine, cujus auctor idem, quem supra nominavi, Lobo Laso de la Vega est, novum describitur foedus Bernardi cum Arragoniae Mauris contra Carolum Magnum junctum. Bernardus ad Marsilium, Zaragozae regem, cujus in cantilenis Hispanorum popularibus epicis persaepe fit mentio, pervenit, quocum, foedere inito, postero die statim Roncesvalles proficiscitur.

n. 28. Primo solemnibus et grandibus verbis motu Hispanorum adumbrato, Bernardi cum Marsilio, ut in praecedente carmine, foedus commemoratur.

n. 29. Huic romanzae oratio Bernardi contumeliosa inest contra omnes qui Francis faveant neque resistant, quin regnum iis tradatur. Finita hac oratione Legionem ille relinquit et objurgans atque increpans hostibus obviam proficiscitur.

n. 30. Bernardus in Franciae finibus copias suas colligit:

nur dreihundert edle recken,
wie er stets gepflegt zu sagen,
dass zehn gegen tausend gnügen,
wären es nur söhne Spaniens.

Animis pugnatorum alloquio confirmatis, illi libenter eum sequuntur et audito jam feroci auxilio venientium Arragonensium Maurorum clamore, se armaque sua comparant.

n. 31. Praestabilis nobis communicatur Bernardi oratio, quum duo milliaria Legione abesset, coram copiis suis habita: unius diei metu ne regnum a patribus longinquis temporibus expugnatum barbaris permitterent. Qui cum Francis proelio dimicare nollet, domi remanere posse. Se ipsum et suos, qui se sequerentur, singulos pro multis valituros esse.

Dieses sagend, trägt von dannen
ihn die wuth des wilden hengstes,
und er ruft: wohlauf denn! folgt mir,
die ihr gelten wollt für edle.

Haec in optimis hujus collectionis cantilenis ponenda est, omninoque id quod Duran de ea dicit probo: *„mucha verdad de sentimientos nobles, generosos y característicos de verdadero españolismo contiene este romance.“*

n. 32. Hoc carmen in conspectum nobis adducit Francos, qui fiduciam in se collocantes ad pugnam sese armant.

Roland spricht: heut soll man sehen,
ob Bernardo also tapfer,
solch ein muthig-trotz'ger löwe,
wie ihn schildert stets sein Spanien.

Quam cantilenam caussa, quam infra afferam, adductus, veteriorem aut quidem retractationem veterioris esse opinor.

n. 33. Describitur pugna ad Roncesvalles, mors Rolandi et duodecim parium. Lobo Laso de la Vega, auctor hujus romanzae, Carolum exoriente luce aciem instruxisse, duodecim paribus sequentibus nobis refert. Sed in fortunae voluntate situm est, „*que de Bernardo quede en el mundo eterna fama.*“ Alphonsus rex et Bernardus copias christianas, Marsilius ejusque dux Bravonel, mauricas in pugnam ducunt. Describitur deinde proelium ipsum sic, quasi agatur res, non quasi narretur.

Roland starb und Oliveros
nebst der blüthe der Franzosen,
und mit thränen liess das schlachtfeld,
hästig fliehend, Karl der grosse
nach der grössten niederlage,
die ihm jemals ist geworden.

n. 34. Haec romanza eandem rem eodem modo similis extremarum syllabarum soni describit omninoque nihil aliud est nisi illius retractatio, a qua praeter alia vel insulsissimum initium, in quo equorum Solis mentio fit, ad verbum expressum sumpsit.

n. 35. Haec cantilena iterum pugnam ad Roncesvalles exponit, Rolandumque in certamine a Bernardo interfectum esse narrat.

Edl're herzen hat wol niemals
eine menschenbrust umschlossen,

als die hier in offner feldschlacht
wuthentbrannt zusammenkommen.
sehen will man dieses schauspiel,
und es schweigt des kampfes toben;
herzen hier und dort erzittern,
schwebend zwischen furcht und hoffen.
doch der himmel wartet Roland's,[6])
den das glück sonst stets erkoren,
und dem Spanier, nicht dem Franken,
bleibt der sieg mit seinen folgen.

Auctor hujus carminis nobis incognitus, se a Bojardo et Ariosto commemoratas res periculosas plane cognitas habere ostendit.

n. 36. Pugna Roncesvallensis nunc absoluta est. Alphonsus Castus primum iterum obtinet locum. Bernardo, quem valde timet, cujusque impetu repetino potiri molitur, nuntios ad castellum Carpio mittit, qui eum ad regiam advocent. Bernardus nuntiis promittens se venturum esse, eos dimittit, sed insidias timens, colligit quadringentos amicos suos fideles, quorum centum in castello suo Carpio ad id defendendum relinquit, et alios centum ad tutandas vias sumit. Cum reliquis autem ducentis ad regiam festinat. Quid deinde secutum sit, sequens cantilena, quae plenissima est verborum solemnium, meliore modo describit. Ergo ad eam nos vertamus.[7])

n. 37. Cum decem modo sociis Bernardus ad regem se confert eumque de perfidia in patrem suum contumeliose objurgat. Qua de re ira incensus rex comitibus suis ut eum capiant imperat. Sed forti animo Bernardus in gladium suum pulsans hoc dicit:

Rühr' sich keiner, denn Bernard
bin ich, und mein gutes schwert,

das sich nimmer unterwarf,
kennt ihr wol, wie gut es schneidet.

Signo dato Bernardi amici qui ante regiam constiterant, irruunt. Rex subito ad clementiam immutatus, se modo jocari voluisse asseverat. Bernardus autem, ira affectus exedram relinquit, amicis suis, quorum sub amiculis arma fulgentia conspiciuntur, sectantibus.

n. 38. Denuo Bernardum ante regem, ab eoque verbis severis petentem ut patri libertas concedatur, videmus. Alphonsus metu arreptus id promittit.

Und ihm hielt sein wort der könig,
doch geschah's mit argen listen;
denn geblendet und getödtet
ward der graf ihm ausgeliefert.

n. 39. Progreditur narratio. Bernardus genibus nititur ante patrem; manum ejus ad os admovet suum, frigidam eam sentit comitemque de Saldaña ipsum mortuum esse, et acerbos edit questus et se patrem ulturum esse promittit.

Nicht will ich ein Spanier sein,
noch Bernardo sein geheissen,
bis gerächt ich deinen tod,
wie ich mich verpflichtet meine.

n. 40. Laurentius de Sepúlveda hac in cantilena sententiam antecedentis tractans pro Alphonso Casto cum illa discrepans Alphonsum Magnum inducit. De reliquo autem undequadragesima et quadragesima plane sibi respondent.

n. 41. Continet haec romanza orationem severam Bernardi in regem, cui ille animum ingratum et crudelitatem objicit, eumque se ulturum jurat. Bernardus a rege decedit et auxilium Maurorum quaerit.

n. 42. Queritur Bernardus de comitis de Saldaña morte atque jurat se eum ulturum esse.

Ueber seine blanken waffen
legte trauer der von Carpio.

n. 43. Hujus carminis sententiae eaedem plane sunt atque quadragesimi primi. Memorabilis a lusu latrunculario capta est comparatio.

Aus dem bauern (peon), undankbarer,
hab' ich dich gemacht zum kön'ge;
und als ob du bauer wärest,
hast versprochnes du gelöset.

n. 44. Lugens Bernardus in castello suo Carpio plane sejunctus ab amicis et usu familiari moratur. Castellum pererrans conclave attingit, in quo obsoletam atque rubigine obductam patris loricam conspiciens, moerore fortunae infelicis natus sui et ulciscendi cupidine afficitur. Lorica indutus cum trecentis viris sole occidente discedit. Pars verborum Bernardi, in hoc carmine relatorum, cujus auctor est Lobo Laso de la Vega, non eum, qui exspectatur, regularem et similem sonum extremarum syllabarum, sed eum praebet, quem Hispani *„redondillas“* nominant.

n. 45. Bernardus sepulturam patris agit, atque animum moventes questus et acerbas edit lacrymas.

n. 46. Eadem res aptiore modo tractatur. Veste lugubri indutus Bernardus ad denicales ferias patris celebrandas apparet, ira commotos questus de regis perfidia efferens. Corpus mortui intuens, altera manu barbam suam comprehendit quasi jusjurandum dans, altera pulsat gladium suum et mortuum se ulturum esse promittit. In fine hujus cantilenae bis ea adhibetur ver-

borum ac versuum conjunctio, quam Itali *„ottave rime“* nominant, quae hoc loco praecipue ad finem summa arte est confecta:

Geliebter vater, den ich schwör' zu rächen,
o wandle ruhig deine bahn im himmel;
denn meine lanze, die mit blutesbächen
den boden Frankreichs tüncht' im kampfgetümmel,
und dem Alfonso wusste bahn zu brechen,
dass sich sein ruhm hob bis zum sterngewimmel:
sie wird auch zeigen, dass kein friede walte,
so lang' ich leb' und sühne nicht erhalte.

Ich bin allein, doch Spanien hat erzogen,
Alfonso, mich, und mir glückt's zu zerstören
des grossen Karl gewalt'ge heereswogen,
herauf ob Frankreich thränen zu beschwören.
die hand, die nie dir einen sieg entzogen,
dass noch mit staunen es die völker hören,
dieselbe hand wird, wenn ich nicht erkalte,
beweisen dir, wie sühne ich erhalte.

Quod in duabus illis romanzis, a Wolfio e collectione cantilenarum Hispanensium, quae ephemeridibus insunt, Pragensi nobis communicatis, quae nullo alio loco inveniuntur (nec etiam in Durani collectione), refertur, id breviter nunc enarrabimus.

p. 25. Alphonsus Castus civitatis primores Legionem convocavit magnaque instituit solemnia. Sed lucidum diem invidia obscuravit. Peregrinus comparet eques, Don Urgel, ludificans ad pugnam provocans:

Wenn es giebt hier einen ritter
kampfbereit und voller schlachtlust,
will ich zeigen, dass mir selbst und
meinem herrn gebührt mehr achtung!

Rex Bernardum arcessit, qui in ecclesia reperitur defixus in precationibus ad S. Jacobum. Ad pugnam sese armat, postquam rex ei pollicitus est, patri se libertatem concessurum esse. Urgel vulneratus in solum incidit et devictum se esse concedat oportet,

und hernach bei Roncesvalles
gab er ganz ihm seine zahlung,
wo in wildentbrannter schlacht er
mit dem schwert das haupt ihm abschlug.

Hanc cantilenam aut ante sextam decimam aut post eam in Durani collectione collocandam esse dilucidum est.

p. 154. Hujus romanzae sententia plane ad tricesimam sextam Durani quadrat, veterior tamen illâ est et plenior.

Breviter adhuc Bernardi in aliis nonnullis romanzis mentio fit, quae in Durani collectione inter eas sunt, quae Turpini omnino sequentes chronica, pugnam praecipue Roncesvallensem celebrant (tom. I. p. 263—266. n. 395—402.), quod quidem fit in romanza 396. et 399.[8])

III.

Jam supra passim de virtute atque aetate, quam diversae, quas adduxi, romanzae habere possunt, locutus, nunc paullo accuratius de ea re dicam. Primo per se elucet, omnes eas cantilenas, quarum scimus auctores, posteriorum esse aetatum. Affero igitur nunc iterum continuatione atque serie adhibita, ea carmina, quae cujusque sunt horum poetarum.

1. Juan Timoneda, cujus collectio „*Rosa española*" inscripta edita est Valenciae a. 1573., auctor esse videtur

romanzae tertiae, quartae, quintae, decimae, undecimae, vicesimae, vicesimae primae.

2. Lorenzo de Sepúlveda, cujus collectio a. 1580. emissa est, secundam, nonam, septimam decimam, vicesimam tertiam, quadragesimam composuit.

3. Lúcas Rodriguez, cujus liber „*Romancero historiado*“ a. 1579. in lucem editus est, auctor est quartae decimae et vicesimae sextae.

4. Lobo Laso de la Vega, quem fuisse auctorem carminis epici „*Cortez valeroso*“ inscripti, Ticknor[9]) nobis communicat, etiam librum romanzarum, omnino propria carmina continentem, Alcaláe de Henáres a. 1587. edidit, ex quo sunt excerptae romanza vicesima secunda, vicesima septima, tricesima tertia, quadragesima quarta.

Sed pars modo minor horum carminum arte compositorum omnino ab iis, quos nominavi, poetis originem accepisse videtur, quippe quum illi semper paene cantilenis priore tempore compositis, quod ipsis carminibus fuit detrimento, formam aliquam noviorem afferre studerent, interdum etiam fere ad verbum traditiones chronicorum veterum, praecipue „generalium“ describerent. Id, quod modo posuimus, rectum esse nonnullis allatis exemplis demonstrabimus, quin eadem res etiam in magna parte earum cantilenarum, quarum haud cognoscimus auctores, conspicitur. Paene ad verbum expressae chronicorum generalium orationes repetuntur in his romanzis:

In quarta enim leguntur haec:

Cuando vió el rey que dudaban,
á grandes voces decia:
— varones, ¿por qué dudais
que no le prendeis aina? —

Chronica autem generalia exhibent: *E el rey, quando vió, que assí dubdavan todos, dióles bozes é díxoles: Varones, ¿qué dubdades, é como non lo prendedes?*

Bernardus ad regem loquitur in romanza octava:

Señor, Rey sois, y harédes
á vuestro querer y guisa;
empero yo ruego á Dios
tambien á Santa María,
que él os meta en corazon
que lo soltedes aina,
ca yo nunca dejaré
de serviros todavía.

Quod in chronicis Hispaniae generalibus ita exprimitur: *Señor rey, faredes lo que tovieredes por bien; é ruego á Dios, que vos meta en coraçon, que lo saquedes dende, ca yo, señor, non dexaré de vos servir, quanto yo mas pudiere.* In cantilena sexta decima regina ita alloquitur regem:

Yo os ruego mucho, señor,
que me déis, si os tiene en grado,
al conde Don Sancho Diaz,
que teneis aprisionado;
porque este es el primer don
que yo á vos he demandado.

Chronica autem generalia ita narrant: *Señor, ruego vos, que me dedes al conde Don Sandias, que tenedes presco, ca esto es el primero don, que vos pido.*

Sed satis sit horum exemplorum. Quum igitur eae cantilenae poetarum nobis incognitorum, quae cum chronicis Alphonsi generalibus saepe non modo in sententiis, sed etiam in verbis congruant, tamen etiam additamentis, quae in chronicis non adsunt, locupletatae sint, et loquacitate, quae semper infimae aetatis documentum est,

a simplicitate orationis, qualis in chronicis exstet generalibus, abhorreant, statuendum esse puto, eas multo posterius, quam illa chronica compositas atque descriptas esse, quod etiam e formis aliquantum novis atque structura verborum intelligitur. Quod autem attinet ad argumenta, inferiorem aetatem omnes illae indicant romanzae, quae quod in carminibus Italorum et Francogallorum epicis, historiam Caroli Magni atque duodecim parium tractantibus relatum est, commemorant, ut tricesima quinta et quadragesima sexta, quae in eam versuum conjunctionem, quam Itali *„ottave rime“* nominant, bis iteratam exit, quam versuum formam simul cum aliis Italorum demum anno 1526. a Joanne Boscan et Garcilaso de la Vega in Hispanorum poësin inductam esse constat. Caussa etiam adest interior, qua adductus romanzam vicesimam quintam infimae esse aetatis suspicor, partim enim tam cultam et politam indicat humanitatem, qualis demum florentissimis equitum temporibus invenitur, partim Alphonsi Casti aetate de regno florente Granatensi omnino dici nondum potuit. Prorsus omnes, quae dicuntur *„romances moriscos“*, aut quae sunt retractationes talium, qualis ea, quam modo attulimus, et vicesima septima plane novae putandae sunt. Historia igitur paene tota fabularis de Bernardo, paucis exceptis cantilenis, ea quidem forma, in qua nobis carmina conservata sunt, nova statuenda est. Excipio autem romanzam tricesimam secundam propter nobilem et veterem et verborum inopem simplicitatem, praecipue autem eam, quae a Wolfio e collectione Pragensi p. 154. nobis perscripta est; in ea enim praeter alia id praecipue summae antiquitatis vestigium est, quod personae, quum oratio earum incipit, minime nominantur. Qua de caussa haec quidem fortasse unica nobis servata esse possit e numero earum, quas Alphonsus

decimus in chronicis suis generalibus quasi fontes suos, quamvis incertos, affert.[10]) Observationibus meis adhuc addo, viros doctissimos Pascual de Gayangos et Enrique de Vedia, qui Georgii Ticknori opus *„History of Spanish Litterature“* inscriptum in linguam Hispanorum verterunt, cantilenae alicujus, Bernardi historiam tractantis, seculi tertii decimi mentionem facere. Invenerunt autem eam in Doctoris Galindez de Carvajal additamentis ad scriptum praeclarum Fernandi Perez de Guzman *„Generaciones y semblanzas“*, quod multorum praestantiumque virorum tempore auctoris florentium mores egregie describit. Additamenta illa exstant in codice scripto anni 1517., in iisque ille, quem nominavi, Galindez de Carvajal, de Bernardo del Carpio loquutus, jam tum veterrimam cantilenam popularem epicam commemoravit, quae quod ab illis doctissimis Hispanis non perscripta est, doleo. Qua de caussa jam quinquaginta cantilenas, quarum persona princeps sit Bernardus, adesse scimus, atque fieri potest, ut numerus earum posterioribus temporibus tantus futurus sit, quantus earum est romanzarum, quae de Cido agunt. Illis autem ut exoriatur vir tam ingeniosus, quam Regis noster, qui eas in linguam vertat patriam exoptamus. Sed satis est dictum de sententiis, numero, fontibus, aetate harum romanzarum de Bernardo del Carpio.

IV.

Nunc ad carmina epica arte composita, quae Bernardi mentionem faciunt, nos vertimus et eorum quattuor poematum, quae ejus historiam quasi argumentum continent, gravissimum, et quod unice in Germania patefactum est,

accuratius contemplamur, ceterorum autem inscriptiones, quales Ticknor affert, brevibus adjunctis annotationibus memoramus.

1. *Segunda parte de Orlando por Nicolas Espinosa (Zaragoza, 4.).* Non Rolandus, sed Bernardus persona princeps est hujus carminis, in quo res ab Ariosto instituta porro tractatur. Espinosa tam evaganti est inventione, ut praeter alia Bernardum Parisiis fuisse et omnes pares, certamine instituto, vicisse enarret. Libri tricesimi tertii vel in Hibernia aguntur res.

2. *Verdadero suceso de la Batalla de Roncesvalles por Francisco Garrido de Villena* (1683).

3. *Historia de las hazañas y hechos del invicible caballero Bernardo del Carpio por Augustin Alonso (Toledo* 1585). 4.

Hos duo libros nemo eorum, qui litteras Hispanorum descripserunt, vidit; credibileque est, eos non esse dignos, qui videantur atque legantur, si quidem Cervantis judicio credere licet, qui in bibliotheca equitis Don Quijote canonicum ad tonsorem haec dicentem facit: *Digo en efecto, que este libro* (dicit enim de libro *„Espejo de caballerías“* inscripto) *y todos los que se hallaren que tratan destas cosas de Francia, se echen y depositen en un pozo seco, hasta que con mas acuerdo se vea lo que se ha de hacer dellos, escetuando á un Bernardo del Carpio que anda por ahí, y á otro llamado Roncesvalles, que estos en llegando á mis manos, han de estar en las del ama, y dellas en las del fuego sin remision alguna.*

4. *El Bernardo ó victoria de Roncesvalles del Doctor Don Bernardo de Valbuena.* De hoc libro, qui per longum tempus in Germania fuit rarissimus, nunc quidem judicare possumus, ex quo tempore praeclaram ejus edi-

tionem, quae primae inest parti Cajetani Rosell collectionis „*Poemas épicos*“ inscriptae, possidemus (Madrid 1851. Rivadeneyra). Non sine magno labore per viginti quattuor ejus carminis libros, versus 45,000 continentes, eluctati, breviter narrabimus, quibus in libris et quo modo Bernardo incidamus, quem laborem nemo adhuc eorum, qui litteras Hispanorum scripserunt, suscepit. Valbuenae carmen rebus de Carolo Magno ejusque paribus miris, in Pulci, Dolce, Bojardo, Berni, Ariosto poetarum poëmatis epicis memoratis, nititur, quas cum fabulis de Bernardo ita jungit, ut hujus facta illorum gloriam occultent.

lib. 1. Commemoratur secretus amor Jimenae comitisque de Saldaña, Bernardi natus, captivitas parentum.

lib. 3. Bernardus ab Oronte disciplinae magicae perito rapitur.

lib. 4. Bernardus subito se in nave esse cognoscit, in qua pulcram Angelicam captivam reperit. Foedus ibi cum Persarum rege jungit, ut Sinae reginam liberet, quae curro igneo de improviso ante oculos eorum per aëres abducitur.

lib. 6. Bernardus navem ascendens Persicam ad viridem pervenit insulam, ubi Gundemarum, nobilem Hispanum, invenit, qui Bernardum de fortunis suis laborum plenis certiorem facit.

lib. 9. Bernardus, cervam persequens, Angelicam reperit, draconis unguibus tentam, quam per obscuram speluncam sequens, artibus magicis plane inclusus, tandem ad Protea pervenit, qui ei natus secretum detegit.

lib. 11. Iterum Angelicam a praedonibus raptam invenit.

lib. 13. Bernardus e praedonum manibus liberat Angelicam, regis Sinensis filiam; tempestate autem exorta rursus amatam amittit et ipse in malo nans servatur.

lib. 14. Bernardus in spelunca, domicilio Themidis, portenta illa videt, per quae fraus et mendacium in mundum veniunt.

lib. 17. Bernardus in Parnassi colle admirabiliter et incredibili virtute pugnans, ab Apolline et Musis ad immortalitatis templum effertur. Cum leone atque equitibus pugnat.

lib. 18. In Hispaniam navigat ejusque terrae littora ascendit.

lib. 19. Arte magica gladium clarum „*Balisarda*“ nominatum accipit.

lib. 20. Equo et gladio furto sibi subductis Dudoni gladium rapit, quocum Rolandum in pugna vincit. Aliis nonnullis rebus periculosis perfectis in fine libri eum in castello suo Carpio invenimus.

lib. 21. Cum trecentis equitibus ad Alphonsi Casti regiam se confert.

lib. 24. Pugna describitur Roncesvallensis, in qua Rolandus atque ceteri pares Bernardi manu occiduntur.

Ceteri libri hujus carminis, quos non memoravi, Bernardi mentionem non faciunt, sed maxime parium facta periculosa atque admirabilia referunt, aut historiam et geographiam adumbrant Hispaniae aliarumque terrarum, inter quas vel Pomerania, Silesia, Cracovia juxta Mejicanam regionem nominantur. Veteres traditiones Valbuena modo in libro primo, vicesimo primo, vicesimo quarto sequitur. Siquidem negari non potest, partes quasdam hujus carminis egregie scriptas linguamque

semper paene puram esse, tamen nemo, qui argumentum, quod modo enarravi, paullum cognoverit, Quintanae seni poetae assentietur, qui in libro suo „*Musa épica*“ inscripto, audacter asseverat: „*Para la poesía descriptiva tenia talentos no muy inferiores á los de aquel gran poeta* (dicit enim de Ariosto), *y superiores, sin disputa, á los de cualquiera otro de nuestros escritores.*

V.

Accuratius veterem traditionem ii sequuti sunt poetae, qui historia de Bernardo fabulari materia usi sunt dramaticorum poematum componendorum. Hodie adhuc pars earum pertractationum in scenam prodit, quae res satis demonstrat, has de Bernardo vigentes historias fabulares moribus populi Hispanensis omnino accommodatas esse. Contigit mihi, ut horum poematum unius quidem, sed optimi atque perfectissimi sententias accuratius cognoscere possem. Argumentum hujus dramatis antequam breviter enarrabo, inscriptiones priorum quorundam et posteriorum praemittam, quas ex historia litterarum dramaticarum Hispanorum a viro doctissimo Schack edita et e versione libri Ticknori a viris doctissimis Gayangos et Vedia instituta me praecipue hausisse libenter confiteor.

1. *Bernardo del Carpio por Juan de la Cueva* (Sevilla 1588). Hoc in poemate poeta primus Bernardi historiam ad actus scenarum componere tentavit. In fine dramatis Cueva, qui usque ad initium seculi septimi decimi vixit, Martem deum apparentem facit, qui Bernardo laudationem habet, atque eum corona laurea exornat. Quae

res pulchri venustique sensum non minus offendit, quam Bernardi receptio in Parnassum in Valbuenae carmine epico.

2. *El traidor contra su sangre por Matos Fragoso* (Madrid 1658). De hoc dramate nihil habeo quid dicam. Ceterum ad librum viri doctissimi Barbosa Machado „*Bibliotheca Lusitana*" II. p. 695. relego.

3. *El conde de Saldaña por Alvaro Cubillo de Aragon* (Madrid 1654). Hoc drama e duabus constat partibus et perfectissima historiae de Bernardo fabularis retractatio esse dicitur.

4. Celeberrimus poeta Lope de la Vega, cujus merita de Hispanorum arte dramatica nondum satis aestimantur, praeter alia argumenta popularia, etiam Bernardi historiam et triplici quidem modo tractavit.

a. *Las mocedades de Bernardo del Carpio.* Haec fabula, ex parte incognitas historias fabulares sequens, aut inventionem propriam adhibens, Bernardi facta usque ad id tempus, quo de secreto natus sui certior factus est, tractat. Jam supra ad romanzam vicesimam primam relatum est, poetam hunc Lope de Vega in hoc dramate accurate illam romanzam secutum esse.

b. „*Bernardo del Carpio en Francia*" historiam continet ejus partis vitae Bernardi, quam romanzae et chronica vix attingunt. Hoc carmen dramaticum Schackius ignorat. Etiam in Espinosae poemate epico Bernardum in Francia fuisse enarratur.

c. *El casamiento en la muerte y hechos de Bernardo de Carpio.* (Typis expressum est in parte prima operis amplissimi: *Las comedias del famoso poeta Lope de Vega Carpio.* Valenciae, Vallisoleti, Caesaraugustae, Mantuae Carpentanorum 1604. Antverpiae 1607.) Argumentum dramatis hoc est:

Actus 1. Initio fabulae Bernardus, morosorum principum ducem se offerens, avunculum suum, Alphonsum Castum, acriter vituperat, quod regnum Carolo Magno concedere velit, si ille contra Mauros eum adjuvet. Bernardus ad regis consilium immutandum valet. Deinde a poeta Parisios deducti, ante oculos nostros conspicimus Carolum Magnum ejusque pares, qui voluptate affecti propter Alphonsi conditionem diem agunt festum. Subito exedram intrat Bernardus, ante regem considit atque explicat, ne ille credat se unquam Hispaniensis terrae aliquid possessurum esse. Bellum deinde indicitur.

Actus 2. Res in loco pugnae Roncesvallensis agitur. Bernardus, interea de origine sua certior factus, a rege impetravit, ut, si vicisset, patri suo libertas concederetur. Maurorum auxilio Hispani in pugna vincunt atque Rolandus Bernardi manu interficitur.

Actus 3. In Alphonsi Casti regia triumphi solemnia aguntur. Bernardus nunc, ut pater e custodia liberetur, postulat, quod tamen rex praecidit. Bernardo, olim regem e periculo vitae eripiens, comes de Saldaña iterum promittitur. Accipit etiam Bernardus annulum, quo ostento custodibus ille sibi tradatur. Sed captum frigidum atque mortuum reperit. Adducit deinde, summo dolore correptus, matrem suam Jimena, ut annulum arrhae nomine datum cum patre permutet.

Haec tria, quae attuli carmina poetae nostri Lope de la Vega integram trilogiam efficiunt, quae universam Bernardi vitam, quoad e traditionibus, quas ille „Phoenix poetarum“ accurate sequitur, pateat, poetarum modo pertractat. Ultima modo particula actus tertii fortasse alio loco nullo invenitur.

Permultas in oratione soluta descriptas tractationes historiarum de Bernardo fabularium, quae innumerabilibus in fabellis continentur, praetermittentes, ad finem commentationis nostrae properemus!

VI.

Quaerendum nobis est, num in iis litteris de Bernardo del Carpio, de quibus supra diximus, insit aliquid, quod tantam vim veritatis praebeat, ut illas fabulas non omnino fictas esse, pro certo accipere possimus. Anni quidem nominatim afferuntur. Chronica generalia descriptura solemnia ab Alphonso Casto Legione instituta, a quibus Bernardus abesse vult et ad quae tandem rogante regina advenit, ita incipiunt: *Quando andava el año de la encarnacion del señor en ochocientos é quinze años etc.* Alio loco chronicorum Alphonsi decimi generalium, quo annus traditi comitis Sandias de Saldaña statuendus est, haec leguntur: *En el sesto año del reynado del rey Don Alfonso el Magno avino, que etc.* In romanzis, de quibus particula secunda commentationis nostrae conferatur, has adnotamus temporis definitiones:

n. 3. *Reinando el rey Don Alfonso,*
el que Casto se decia,
andados diez y siete años
del reinado que tenia …

n. 16. *Andados treinta y seis años*
del rey Don Alfonso el Casto,
en la era de ochocientos
y cincuenta y tres ha entrado
el número de esta cuenta …

n. 20. *Andados los años treinta*
que reinaba Alfonso el Casto,
en la era de ochocientos
y mas cuarenta y un años.

In sexta decima de certaminibus supra allatis dicitur, et duplex temporis definitio, secundum regni initia Alphonsi Casti et secundum Christum natum, adhibetur. Si triginta sex annos regni regis ab anno 883. p. Chr. n. detrahimus, annum 817. initium regni Alphonsi II. sive Casti invenimus. Sed hoc non quadrat ad auctoritatem probatam, quae regem illum ab anno 792. usque ad annum 805. regnasse contendit. Chronica generalia illa certamina anno 815. instituta esse referunt itaque a romanzis simul atque a veritate abhorrent. In romanza enim 20. Alphonsum II. anno 811. regnum suscepisse narratur. Communem traditionem derelinquens Sepúlveda in romanza 40., cum chronicis generalibus congruens, memorat, Alphonsum Magnum comitem de Saldaña Bernardo tradidisse. Septimus autem annus regni Alphonsi Magni 875. est. Hi nuncii igitur omnes secum pugnant, e quibus id modo concludi potest, Bernardi vitam, si quidem vixerit, nullo modo in octavo, sed potius in nono saeculo ponendam esse. Si contemplamur illa loca, quae in romanzis nominantur, nonnulla aut omnino non adesse, aut interiisse cognoscimus. Oruego, Polvoreda, Romiral nusquam inveniuntur. Nomina regum Mauricorum, quae afferuntur, a nullo libro historico commemorantur; Marsilius solus, Caesaraugustae rex, cognitus nobis est e fabulosis Turpini chronicis (cap. 22. 24.) atque e poetarum nobilissimorum Pulci, Bojardo, Ariosto, aliorum carminibus, nec non e multis Hispanorum romanzis, atque re vera vixit. Fuit enim praefectus Chalifi Ommaijadici Abderrahman I. (a. 755.—788.). Cum eo

Fruela, Asturiae princeps, atque Lupus, dux Vasconum, contra Carolum Magnum foedus jungunt itaque auctores fiunt cladis ejus ad Roncesvalles,[11]) quae in anno 778. aut 779. ponenda est. Quum Bernardus modo temporibus duorum Alphonsorum, ab anno 792. usque ad annum 910., nonnullis aliis interpositis principibus, regnantium, saeculo igitur, ut supra demonstravimus, nono vixisse possit, omnia ea, quae eum pugnae Roncesvallensi interfuisse commemorant, plane fabulosa habenda sunt, ad quod accedit, quod modo historiae Hispanorum eum in isto proelio adfuisse referunt. Mihi quidem verisimile videtur, Bernardum quendam saeculo nono re vera vixisse et eos nuntios, qui originis suae, parentum captivitatis, mortis miserabilis patris mentionem faciant, a veritate sejunctos non esse. Credendum etiam est, Bernardum Alphonsi Casti temporibus natum patremque regnante Alphonso Magno mortuum esse, ita ut id rectum sit, quod in romanza septima affertur:

Cuando entré en este castillo
apénas entré con barbas,
y agora por mis pecados
las veo crecidas y blancas.

Alphonso Casto regnante comes quidam Bernardus stimulator et concitator seditionis nominatur, et Alphonsum Magnum superbae nobilitatis vim atque potestatem fregisse narratur. Fortasse Bernardus del Carpio e nobilium fuit numero, qui aegre tulerunt, quod Alphonsus regnum suum Carolo Magno, id quod auctoritate historica probatum est, traditurus fuit, atque idcirco Bernardum illorum ducem se praebuisse credibile est. Nimia domesticorum admiratio posterioribus temporibus hunc virum fortem pugnae Roncesvallensi interfuisse finxit, quum

Hispani gloriae Vasconum, qui ad Roncesvalles Carolum Magnum vicerant, participes esse aut omnino hanc gloriam sibi vindicare vellent, neque alium virum fortem haberent, qui dignus visus esset, qui tam praeclara facta perfecisse putaretur, quam ille bellis cum Mauris gestis celeberrimus et ab omni populo summa laude affectus Bernardus. Quem si, quod Ticknor fecit, omnino vixisse neges, non minus siccus esse nominari possis, quam ille. Cum gladio Bernardum ad Roncesvalles Rolandum interfecisse omnes traditiones Hispanorum referunt: qua de caussa igitur Cervantes dicere potuit: „*en Roncesvalles habia muerto á Roldan el encantado, valiéndose de la industria de Hércules cuando ahogó á Anteon el hijo de la Tierra entre los brazos?*“ Ita in fine commentationis nostrae reversi sumus ad illum virum, a quo exorsi sumus.

ADNOTATIONES.

1) cf. *Biblioteca de autores españoles, desde la formacion del lenguaje hasta nuestros dias, ordenada é illustrada por D. Buenaventura Carlos Aribau. Tomo primero.* pag. 233. Haec illius collectionis pars continet Cervantis opera omnia exceptis scenicis et primum textum facilem lectu summi Hispanorum poetae praebet. Aribau in adumbratione vitae Cervantis praemissa animum lectoris, quod occasione oblata hoc loco exponere mihi liceat, advertit ad errorem pervulgatum, quem vel novissimus historiae litterarum Britannicarum scriptor, Alexander Büchner, repetit, Shakspeareum atque Cervantem eodem nono Cal. Maj. anni millesimi sexcentesimi sexti decimi esse mortuum. Quod ita se non habet, quum Angli, opinione ad sacra pertinenti praejudicata adducti, Gregorianam temporum rationem demum ante diem tertium Non. Sept. anni millesimi septingentesimi quinquagesimi secundi receperint, admissa jam illa ab Italis, Hispanis, Lusitanis ante diem quartum Non. Oct. anni millesimi quingentesimi octogesimi secundi. Itaque Shakspeare pridie Id. April. ejusdem anni die Martis morti occubuit.

2) Verba chronicorum haec sunt: *lidiavan de cada dia toros é bofordavan de cada dia tablado.* Quae verba affero propter

vocem „*bofordavan*", duabus de caussis memorabilem. Cum verbo „*bofordar*" certe non injuria componimus vocem „*bofordo*", quae apud Sanchez „*Colleccion de poesias castellanos anteriores al siglo XV.*" legitur, et quam ille interpretatur quasi significet „*especie de lanza arrojadiza.*" Locus collectionis Sanchezianae in poemate de Alexandro magno v. 2664. hic est:

El buen muro de Troja yacie trastornado,
El que lo trastornó estaba mui pagado,
Echando el bofordo é feriendo taulado,
Ca avie su negocio ricamente acabado.

Utrumque verbum deducendum est a vocibus Germanorum: *bûhurt, bûhurdieren,* quae commutatae in formas: *behourt, bohourt, behorder, bohorder* etiam in linguam veterem Francogallicam, in formis *bagordo, bigordo, bagordare* in linguam Italicam, et multis in formis in Provincialem transierunt, de qua re cf. Raynouard (Lex. Rom. II. p. 211. et 212.). In chronicis Bernardi de Sclot in dialecto Tarraconica scriptis vel verbum *bornar* pro *bordar,* ortum e substantivo *bort* Provinciali, legimus p. 587 b. Sed praeter originem Germanicam litterae *h* in *f* transmutatio in Hispanico illo *bofordar* non minus memorabilis est. Rarissimam illam transmutationem litterae Latinae *h* in aspiratam *f,* quam Diez (I, 222.) uno tantum exemplo „*farpa*" demonstrare potuit, verba etiam ostendunt, quae insunt libro: *Cancionero de Baena,* qui nunc demum a viris doctissimis Ochoa, Gayangos, Pidal nobis apertus est. (*El cancionero de Juan Alfonso de Baena, ahora por primera vez dado á luz con notas y comentarios.* Madrid 1851.) De hoc gravissimo monumento linguae Callaecae, sicut de auctoritate, quam poesis regiae Callaecae in Hispanicam et Lusitanam effecerit, propediem accuratius disseram, atque cum illa commentatione de dialecto Asturum (*el Bable*) et de Zingarorum in Hispania lingua quid notandum sit referam. Praecipue diligentiam meam in illo „*Cancionero de Baena*" verba originis Arabicae occuparunt, quae nunc omnino e lingua Hispaniensi evanuerunt.

3) In chronicis legitur „*muerto*", quae vox et „*mortuus*" et „*interfectus*" significare potest.

4) *Recherches sur l'histoire politique et littéraire de l'Espagne pendant le Moyen Age.* tom. I. pag. 384—413.

5) Madrid. 1849. 1851. 2 voll.

6) Verba: *„el cielo que á Orlando espera“* probare videntur, auctorem hujus cantilenae Dantis carmen cognovisse, qui Rolandum in quintum transponit coelum, Martem in planetam, quo qui pro fide pugnarunt, conjuncti sunt:

Così per Carlo Magno e per Orlando
Due (scilicet *lumi) seguì lo mio attento sguardo*
Com' occhio segue suo falcon volando.
Parad. XVIII. v. 43—45.

7) Cervantes in fabulae suae *„Don Quijote“* parte secunda, cap. X. hos duos versus hujus cantilenae affert:

Mensajero eres amigo,
non mereceis culpa, non.

8) Quam populares cantilenae de Bernardo sint, hoc argumento est, quod in bibliotheca Hammoniensi versio earum in linguam Tagalicam asservatur, quae ita inscribitur: *Historia famosa di Bernaldo Carpio sa reinono España na arac ni D. Sancho Diaz at ni Doña Himena.* Manila 1842.

9) tom. II., pag. 108. versionis Germanicae.

10) Hanc romanzam, quam Wolfius, Grimmio, Hubero aliisque ab illo dissidentibus, solam putat esse veteris originis, hoc loco in linguam vernaculam versam integram apponere liceat.

Von dem kön'ge zum Bernardo
eil'ge boten briefe tragen,
dass er gleich zu hofe komme,
mit ihm dort zu unterhandeln.
doch Bernardo will nicht gehen,
weil er nur vermuthet arges,
wirft die briefe in das feuer,
lässt die seinen sich versammeln.
als sie all' versammelt, hat er
so zu reden angefangen:
„ihr, die meinen, ihr vierhundert,
die von mir ihr brot empfanget,

stets bisher wart ihr verbunden, —
seid getrennt zum ersten male!
hier in Carpio bleiben hundert,
um das schloss mir zu bewachen;
hundert lagern auf den wegen,
nirgend einen durchzulassen;
zweimal hundert ziehen mit mir,
mit dem kön'ge zu verhandeln!" —
so gesagt zieht er von dannen
und bricht auf zu schnellem marsche,
nach bestimmten tagereisen
zu der königsstadt gelangend.
hundert lässt er von zweihundert,
die er hergeführet, warten,
dass sie ihm das thor der hauptstadt
allzeit mögen sicher halten;
mit den hundert, die ihm bleiben,
eilt er fort zu dem palaste:
fünfzig stellt er an die thüre,
nimmer einen durchzulassen,
dreissig stellt er an die treppe,
wo man aufsteigt und hinabgeht,
und allein mit zwanzig rittern
tritt dem kön'ge dann er nahe.
bald hatt' er ihn aufgefunden
an dem eingang eines saales,
bat, die hand ihm darzureichen,
doch sie ward ihm abgeschlagen.
„schütze gott euch, guter könig,
und die um euch stehen, alle!
sprecht, warum ward ich gerufen,
und was wollt ihr auf mir tragen?
warum wollt ihr mir entreissen
jenes schloss, das ihr mir gabet?" —
und der könig, zorn'gen sinnes,
will ihn aus den augen haben;
erst nach einer langen weile
hat den blick er aufgeschlagen:
„kamst zu übler stund', verräther,
du, der sohn des schlecht'sten vaters;
Carpio gab ich dir zu lehen,
das zu eigen du dir nahmest." —

„lügen sprecht ihr, guter könig,
und ihr weichet ab vom wahren.
nimmermehr war ich verräther,
oder einer meines stammes.
wol erinnern solltet ihr
euch bei Romeral des kampfes,
da euch im getümmel wollten
tödten fremde heeresschaaren;
euer ross ward euch getödtet,
und ich sah herab euch fallen:
dort, wie es verräther pflegen,
bot ich dar euch meinen rappen,
kämpfte dort zu euerm schutze
mit der lanze und der tartsche,
und erschlug daselbst zwei brüder,
beide söhne meines vaters,
dass mir keine erzbischöfe
wollen meine schuld erlassen.
damals schenktet ihr mir Carpio,
ohne dass ich angehalten.“ —
„solches hab' ich nie versprochen,
nie im willen es getragen. —
her, ihr ritter, greift ihn, greift ihn,
der sich solches konnte wagen!“ —
alle stehen, stumm ihn schauend,
keiner wagt, sich ihm zu nahen.
aus der scheide zieht das schwert er,
aufgeschlagen seinen mantel.
„hierher, hierher, ihr zweihundert,
die von mir ihr brot empfanget,
denn heut ist der tag gekommen,
ehre viel davon zu tragen!“ —
also sprach hier der von Carpio,
und der könig wurde sanfter.
„üble launen hast du an dir,
kannst dich ihrer nicht entschlagen;
was im scherze ward gesprochen,
nimmst du, vetter, stets als wahres.
wenn du Carpio hatt'st zu lehen,
sollst zu erb' du nun es haben,
und, wofern es dess bedürfte,
will ich's schriftlich dir vermachen.“ —

doch Bernardo, solches hörend,
ihm zur antwort dieses sagte:
„keiner kann das schloss mir geben,
das besessen ich schon lange:
wollt' mir's einer aber nehmen,
wissen werd' ich's zu bewahren.“ —
und der könig sprach besänft'gend,
da er sah ihn also wacker:
„bleibe hier zu guter stunde,
willst du frieden mit mir halten.“

11) Vallis Roncesvallensis in Navarra inter urbes Pampeluna et St. Jean Pied de Porte sita est; in illa parvus est vicus 240 incolas continens. Etiam in historia novi temporis hoc nomen bis rursus memoratum est: anno 1794. hîc Francogalli duce Moncey Hispanos vicerunt, et a. d. v. Cal. Aug. anni 1813. mareschallus Soult a Wellingtonio certo suo gradu demotus est. Mariana credulus pugnam, in qua Rolandus occisus sit, anno 801. commissam esse censet atque ita dicit: *Venian en la vanguárdia Roldan conde de Bretaña, Anselmo y Eginardo hombres principales: el lugar no era á propósito para ponerse en ordenanza, acometieron los nuestros desde lo alto á los enemigos, dieron la muerte á muchos ántes que se pudiesen aparejar para la pelea y ordenar sus haces; fué muerto el mismo Roldan, de cuyo esfuerzo y proezas se cuentan vulgarmente en ambas las naciones de Francia y de España muchas fábulas y patrañas. (Historia de España.* ed. Madrid 1794. tom. II. p. 301.). Fontes Arabicos sequens Conde de pugna Roncesvallensi narrat haecce: *Como hubiesen prevalecido los christianos de Afranc en tierra y comarcas de Narbona, despues de la pérdida de aquella ciudad, aprovechando la ocasion de las continuas guerras que traia el rey Abderahman con los rebeldes, tomaron ánimo, y con grandes huestes entraron en tierras de España talando y estragando los campos, incendiando los pueblos y cautivando las gentes: llegaron con sus algaras hasta Zaragoza; pero los walíes de Wesca, de Lérida y de las otras fronteras fueron contra ellos, y los vencieron y obligaron á pasar los montes, y tuvieron que dejar la presa y despojos por*

la vuelta: el descuido de los walíes de la frontera fué causa de estas calamidades. Fué esta entrada de los christianos de Afranc año 162. *(Historia de la dominacion de los Arabes en España; part. II. cap.* 20.*)*

THESES.

1. *„Porcellana“* linguarum recentiorum vocem derivandam esse a Latina *„porcus“* contendo.
2. A. G. a Schlegel *„mandarim, varanda, biombo“* verbis injuria originem Romanensem tribuit.
3. In v. sexto carminis de Boethio Provincialis legendum est: *„per cui salv esmes per pur quell clamam.“*
4. Horat. Od. lib. I. 25. v. 20. *„Hebro“* lectionem alteri *„Euro“* anteponendam esse statuo.
5. Tacit. Germ. c. 26. legendum est: *„agri pro numero cultorum ab universis in vices occupantur.“*
6. In strophis 12. et 19. carminis de Sancto Leodegaro, quod sermone Francogallorum vetere confectum est, *„edrat“* formam ad *„iterare“* verbum Latinum revocandam esse censeo.
7. Carmina, quae *„sonetti“* dicuntur, Italicae, non Provincialis originis esse statuo.
8. J. Grimmii sententiam, romanzarum Hispaniensium versus singulos primo ex quattuor dipodiis trochaicis constitisse, deinde autem in eam, qua nunc legantur, formam solutos esse non amplector.

9. Qui libelli Dantis inscriptionem „*Vita nuova*“ significare „*vitam juvenilem*“ neque „*vitam novam*“ dixerunt, refutandi sunt.

10. Dantem Graecae linguae peritum fuisse nego.

11. Tragoediam a Corneille poëta compositam et „*Cid*“ inscriptam nihil aliud esse nisi imitationem fabulae „*Las mocedades del Cid*“ a Guilelmo de Castro Hispaniensi scriptae contendo.

12. In carmine Слово о полку игоревѣ, quod est Russorum linguae antiquissimum monumentum, Боянъ non est nomen appellativum, sed proprium.